



DE NATURA
CONSCIENITIAE
DISSERTATIO.

INDICATURUS
SERMONEM PRO LOCO RITE OCCUPANDO

DIE XXI. M. JUNII A. MDCCCLII. HORA XI.

IN

LYCEO HOSIANO BRUNSBURGENSEI

PUBLICE HABENDUM

SCRIPSIT

ANDREAS MENZEL,

SS. THEOL. LIC. ET PROF. PUBL. EXTR. DES.

BRUNSBURGAE,

TYPIS HEYNEANIS.

1852



WYKAZ
KONZULTACJI
DOKUMENTACJI

WYKAZ KONZULTACJI DOKUMENTACJI

WYKAZ KONZULTACJI DOKUMENTACJI



Non est propositum, universam de conscientia materiam hac disputatione comprehendere; longum nimirum esset, quum varias conscientiae definitiones ac distinctiones recensere, tum multiplices agendi regulas, quae inde manant, exponere. Placet igitur hanc quaestionem potissimum de conscientiae summa vi atque natura instituere, idque facere ea imprimis ratione, ut praecipuarum sententiarum, quae de hac re prolatae sunt, habito respectu diligentius inquiramus, quid sit id, quod omnibus animi motibus conditionibusque internis, quae vel conscientia vocantur vel conscientiae adscribuntur, tanquam principium ac fundamentum subjaceat. Ejusmodi disquisitionis institutio non prorsus supervacanea videtur esse, quamdiu de hac re, quam cum pietate erga Deum Optimum Maximum et bonis moribus conjunctissimam esse omnes consentiunt, apud philosophos atque theologos multae inveniuntur sententiae discrepantes atque inconditae.

§. 1.

Ex ipso quidem conscientiae sive *συνειδήσεως* vocabulo perspici nequit, quae sit rei, de qua quaeritur, propria vis. Etenim conscientia in universum scientia est, quae cum aliquo communicatur, quamquam plerumque is, quocum communicatur, nemo alius est, atque is, cui ipsa conscientia tribuitur, quamobrem illud vocabulum idem valet, quod nostrum „Bewusstsein.“ Attamen loquendi usu ipsaque rei significatae natura factum est, ut conscientiae significatio jam apud veteres, maxime vero apud nostros, etiam arctius circumscriberetur et imprimis ad sensum moralem revocaretur. Itaque conscientia illud est, quod lingua nostra, ex laudatissima sua facultate philosophica,

proprio vocabulo „Gewissen“ appellat. Jam vero arctiore hoc sive proprio sensu conscientiae vox non tam inter-
narum actionum affectionumque moralium notitiam signi-
ficat, quam potius ipsas illas actiones affectionesque inter-
nas nec non principium, quod eis subest.

Atque conscientiae affectiones actionesque, quot per
sensum internum percipiuntur, quamvis sint multiplices, ad
duas potissimum tanquam primarias referri possunt, qua-
rum altera, si quid libere conficiendi vel omittendi data
est occasio, antequam agitur, voluntatem ad honestatis
partem inflectit, altera, postquam actum est, de re gesta
facit judicium. Unde conscientia antecedens justo distin-
guitur a consequenti. Conscientiae quidem antecedenti
summa quoque honestatis principia solent adscribi, quibus
jam natura scimus, quid justum atque honestum sit, quid
secus. Cum consequenti vero conscientia is loquendi usus,
conjunctus est, quo judicii facti et sententiae latae peren-
nitas exprimitur, ut conscientia bona vel mala.

Jam vero haec conscientiae quasi species, quae va-
riis illis motibus affectionibusque ethicis continetur, quae-
que cadit in sensum internum, nulli genti quamvis bar-
barae prorsus ignota esse poterat, licet interdum proprium
vocabulum, quo res significaretur, deesset; id quod etiam
in lingua Hebraica usu venit, quae conscientiam vario
modo circumscribit, sed plerumque cordis vocabulum (LeB)
usurpat (ut Job. 27, 6. I. Sam. 24, 6. II. Sam. 24, 10.
I. Reg. 2, 44). Nemo tam immanis est homo, cui nullam
honesti notitiam conscientia conferat, nemo adeo scelera-
tus, quem nunquam judicio suo inexorabili exeruciet.

Itaque etiam in scriptis veterum conscientia saepis-
sime inducitur, ejusque motus et status, praesertim qua-
tenus sententiis durissimis de hominum maleficiis latis
continentur; gravissimo stilo describuntur. Neque antiqui-
tatis viros doctos fugiebat, conscientiam summa quadam

vi et quasi auctoritate divina homines etiam invitos ad honestatis praecepta sequenda compellere eorumque actiones ex iisdem praeceptis iudicare. Quamobrem praeter ceteris Cicero illam indolem, quam plerumque conscientiam nominamus, saepius religionis vocabulo, quod ad numen divinum respicit, significat. (Cf. C. F. Stäudlin, Geschichte der Lehre von dem Gewissen. Halle 1824. pag. 16.) Neque tamen mirandum est, illos viros, quippe qui in universum de rebus divinis minus recte sentirent, ne conscientiae quidem veram naturam radicemque profundissimam ex ejusdem motibus in sensu interno comparentibus intellexisse. Etenim praeterquam quod ea omnia, quae ad Deum Optimum Maximum et ad vitam aeternam pertinent, non nisi ex doctrina divinitus manifestata probe cognoscuntur, illorum temporum viri docti de rebus, quae tantum per sensum internum percipiuntur, omnino non consueverant quaerere, sed vel in rebus externis perscrutandis et describendis versabantur, vel in summis ideis a rebus naturalibus segregatis sola cogitatione perlustrandis. Unde factum est, ut in scriptis, quae nobis reliquerunt, non nisi passim et ex data occasione de conscientia loquantur, nec vero unquam arte ac ratione ejus descriptionem suscipiant. Atque eadem potissimum fuit causa, cur ne christianae quidem doctrinae addicti scriptores veteres, quamquam libris Novi Foederis ad id magnopere instigabantur, de conscientiae vi ac natura ulla disputationes arte ac via instituerunt.

S. 2.

Namque etiam Novi Foederis libri saepissime conscientiam commemorant, ejusque actiones atque auctoritatem summopere extollunt, acerrimeque cum bonis moribus et erga Deum pietate conjungunt. In his quoque libris sacris conscientia potissimum ut iudicium internum describitur, quo de factorum et dictorum honestate

severissime agatur. In hoc tribunali convicti (*ὕπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι*, ut nonnulli codices graeci addunt) „scribae et pharisaei unus post unum exhibant incipientes a senioribus,“ quum Salvator noster illis, qui mulierem in adulterio deprehensam ad eum adduxerant, dixisset: „Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat“ (Joan. 8, 3 seqq.). Hoc quidem tribunal ne gentibus quidem a vera Dei cognitione alienis deest „testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus“ (Rom. 2, 15). Propter hoc maxime iudicium (*διὰ τὴν συνείδησιν*) homines oportet subditos esse, nec solum propter poenas dandas (Rom. 13, 5). Neque vero minus ea conscientiae ratio memoratur, quae sententiae latae duramentum indicat. Sicuti S. Paulus de quibusdam falsis doctoribus loquitur, qui conscientiam suam „cauteriatam“ habeant (*κεκαυτηριασμένοι τὴν ἑδίαν συνείδησιν* — 1. Tim. 4, 2), atque Timotheo suo praecipit, ut bonam conscientiam servet (1. Tim. 1, 19), nec non confitetur de se ipso: „Confidimus, quia bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes conversari“ (Hebr. 13, 18).

Jam vero illud iudicium ex lege fit, ea quidem, ut par est, quae ab homine cognoscatur. Itaque Judaeus ex lege Mosaica iudicatur, at homo Graecus ex ea lege, quae scripta est in corde ipsius (Rom. 2, 12—15). Inde etiam alia quaedam conscientiae notio proficiscitur. Etenim non solum illa lex naturalis vel conscientiae tribuitur vel conscientia appellatur, verum etiam omnis firma fides atque persuasio, quam aliquis de rebus ad honestatem ac religionem pertinentibus in universum habet. Ad intimam hanc cujusque de bono ac malo persuasionem ut ad testem locupletem apostolus provocat, „ad hanc conscientiam hominum coram Deo sese commendat,“ dum veritatem divinitus patefactam illis communicat (2. Cor. 4, 2). Neque

fas esse, illam hominum fidem ac persuasione[m] moralem, quamvis aliquando minus recta sit, quam conscientiam infirmam vocat, nostra firmiore scientia offendi. „Quapropter — ita enim scribit (1. Cor. 8, 13) — si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.“ Itaque S. Paulus etiam in sacerdotum concilio suo jure potuit asserere: „Ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem“ (Act. 23, 1). Quidquid enim ante conversionem suam contra christianam religionem molitus fuerat, secundum fidem suam atque persuasione[m] in Summi Dei honorem fecerat. Quum igitur conscientia religiosam de bono et malo persuasione[m] contineat, haud raro cum ipsa fide conjungitur, quin etiam commutatur. Ergo in epistola prima ad Timotheum scripta (cap. 3, 8—9) commendatur, ut diaconi „mysterium fidei in conscientia pura“ habeant. Etiam antea (cap. 4, 5) haec leguntur: „Finis autem praecepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.“ Ad Romanos vero (cap. 14, 23) ita scribit apostolus: „Qui autem discernit (scilicet cibos), si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem, quod non est fide, peccatum est.“

Sed Novi Foederis sancti scriptores conscientiae vim atque auctoritatem etiam altius super humanam naturam extollunt atque ad ipsum Deum eam referunt. Ita Paulus apostolus (Rom. 2, 15, 16) conscientiae iudicium cum illo die confert, quo „iudicabit Deus occulta hominum secundum evangelium.“ Atque S. Petrus in epistola prima (cap. 3, 21) eam veram salutem esse dicit, quae in „interrogatione bonae conscientiae in Deum (εἰς Θεόν) consistat.“ Sin idem apostolus scribit (ep. 1. cap. 2, 19): „Haec est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens injuste“ — ipse Deus sub conscientia subintelligitur, vel potius ipsi Deo conscientia attribuitur:

injuriam nempe esse ferendam propterea quod etiam Deus illud sciat. Pari modo conscientia possit accipi, ubi in epistola ad Hebraeos data (c. 9, 9 et 14) legimus, hostias et munera secundum legem oblata non posse juxta conscientiam (*κατὰ συνείδησιν*) perfectos facere homines, at sanguinem Christi emundaturum conscientiam nostram ab operibus mortuis. Haec enim sanguinis Christi oblatio coram conscientia nostra valida est, quia revera coram Deo valet.

Quibus propositis jam perspicuum est, sacram scripturam non solum varias conscientiae actiones atque affectiones summamque ejus vim et auctoritatem dilucide et graviter describere, verum etiam conscientiae proprium principium propriamque radicem certe indicare. Ita enim de illa loquitur, acsi Deus Optimus Maximus ipse per conscientiam homines obliget et judicet; quare conscientia haud injuria tanquam vox Dei vulgo praedicatur. Jam vero conscientiae propriam naturam, Sacra Scriptura indicatam, accuratius persequi, operae atque labori virorum doctorum permissum est; sed tamen omnis de natura conscientiae disputatio, quae arte suscipitur, ex ipsa doctrina Sacrae Scripturae pensanda et judicanda est.

§. 3.

Ex variis igitur conscientiae definitionibus*) ad hunc usque diem illa maxime divulgata est, quae in S. Alphonsi

*) *Quum non sit in proposito, omnium sententiarum, quae de natura conscientiae editae sunt, historiam enarrare, eas tantum sententias hoc loco respicimus, quae in mediam rem, ut ajunt, nos videntur posse inducere. Caeterum ante theologiae scholasticae aetatem, ut jam indicavimus, de conscientiae natura minime quaerebatur solique status motusque morales sensui interno obvii commemorabantur. Qui ex veteribus scriptoribus ecclesiasticis longe copiosissime de conscientia tractavit, S. Joannes Chrysostomus prae caeteris sic scribit (Expos. in Ps. 147. Opp. rec. Montfaucon. edit. 2. Par. 1836. T. V. p. 586): Γραπτὸν*

de Ligorio Theologia Morali (Lib. I. tract. I. cap. 1) ita exprimitur: „Est iudicium seu dictamen practicum rationis, quo iudicamus, quid hic et nunc agendum ut bonum aut vitandum ut malum. Dicitur autem conscientia dictamen practicum ad differentiam synderesis, quae est cognitio speculativa principiorum universalium ad bene vivendum.“ Quae conscientiae definitio (synderesim nunc quidem omittimus) quum, uti verbis circumscribitur, solam antecedentem conscientiam comprehendat, aptius in illa forma retinetur, in qua apud Hermannum Busebaum S. J. primo

νόμον οὐδενὶ τῶν ἄλλων ἔδωκε· τὸν μὲν γὰρ φυσικὸν ἐνδοθεν εἶχον ἅπαντες ἐνηχοῦντα, τί μὲν καλὸν, τί δὲ οὐ τοιοῦτον. Ὁμοῦ γὰρ πλάττων τὸν ἄνθρωπον ὁ Θεὸς, τοῦτο αὐτῷ ἐνέθηκε δικαστήριον ἀδέκαστον τὴν ἐν ἐκάστῳ τοῦ συνειδότος ψῆφον. Quod si ejusmodi sententiam, sic expressam, Harlessius in libro suo: *Christliche Ethik* (edit. 4. Stuttgart 1849. pag. 24 seqq.), ubi de natura conscientiae egregie disputat, admodum vituperat, quia, veterum placita perverse intellecta imitans, conscientiam tanquam quandam divinam substantiam animo humano insitam statuat, ita ut animi humani unitas dissolvatur, quin etiam ipsa illius creata natura subvertatur: in hac quidem reprehensione vir doctissimus justum modum nobis videtur excessisse. Plane enim internum iudicium conscientiae ab ejus auctore distinguitur hominique ita adscribitur, ut ceterae animi vires facultatesque. Quantum ab hac sententia ea differt, quae revera humana atque divina miscet, uti apud Hegelium philosophum (*Phaenomenologie des Geistes*. Berlin 1832. p. 492 seqq.) proponitur: „Conscientia est immediata certitudo de se ipso, qua ipsa scientia vel persona scitur ut substantia.“ Id quod etiam sic exprimitur: „Effato conscientiae continetur, hominem scire, se esse substantiam“ (scil. absolutam). Qua definitione, si jam planis verbis uti volumus, asseritur, hominem per conscientiam scire, sibi ipsi inesse substantiam divinam vel se ipsum esse Deum ideoque summum ipsius regem atque iudicem. Quae sententia nobis atque ipsi sancto Chrysostomo prorsus opposita est.

capite libri celeberrimi „Medulla Theologiae Moralis“ comparet: „Conscientia est dictamen rationis seu actus intellectus, quo judicamus, aliquid hic et nunc agendum vel omittendum esse vel fuisse tanquam bonum vel malum, idque vel per modum praecepti vel consilii.“

Duplex igitur agendi regula distinguitur: altera remota sive materialis, quae ipsa lex divina est; altera proxima sive formalis, quae homini insita conscientia est, qua lex divina universalis quasi completur et ad singulos vitae casus applicatur. Merito itaque conscientia dictamen practicum rationis nuncupatur, atque etiam subtilius ratio practica specialia officiorum praecepta derivans (specialisirende practische Vernunft) a quibusdam nominatur. Cf. Martin, Lehrbuch der katholischen Moral. Mainz 1850. pag. 80 seqq.

In promptu quidem est, ejusmodi conscientiae descriptio quam sit utilis in theologia morali tradenda. Namque non solum conscientia sic definita recta, erronea, perplexa, scrupulosa, dubia, probabilis justo potest nominari, quoniam haec omnia humanae rationi, cujus est, legem divinam percipere eamque ad singulos agendi casus accommodare, revera attribuenda sunt, sed agnoscendum etiam erit, ejusmodi facultatem esse quodam modo proprium theologiae moralis componendae instrumentum, praesertim quum susceperit, ex lege divina universali singula officiorum praecepta ad singulos vitae casus accommodata deducere, quae quidem scientia sacerdoti, quippe qui confitentium hominum actiones justo judicio pensare debeat, admodum necessaria est.

At quisnam illam animi facultatem, qua vel in theologia morali officia specialia deducuntur vel in tribunali sacro peccata confessa judicantur, ad conscientiam referat? Nemo quidem sane; immo vero nobis quidem etiam tum, quum aliquid agendum est, actus rationis, quo judicatur,

quid hic et nunc lex divina jubeat, omnino videtur segregandus ab illa interna actione, qua voluntas humana legi ad casum specialem jam revocatae superiore quadam auctoritate subjicitur. Duae itaque actiones internae in unoquoque agendi casu eodemque temporis momento concurrunt quidem, sed differunt natura sua diversoque fundamento nituntur; altera enim rationi practicae inhaeret, altera conscientiae in quodam sensu arctiore. Quamobrem qui conscientiam dictamen rationis seu actum intellectus appellant, videntur ii res in diversis principiiis sitas confundere. Videamus igitur, quoniam illa conscientiae descriptio a S. Thoma Aquinate originem suam ducit talique origini maximam auctoritatis partem debet, an forte apud Doctorem Angelicum, theologorum omnium facile principem, plura et dilucidiora de nostra re inveniamus.

§. 4.

Sanctus Thomas de conscientia disputat in prima parte Summae Theologicae, qu. 79, ubi de „potentiis intellectivis,“ quibus „potentiae appetitivae“ opponuntur, tractat. Ex more omnium scholasticorum ab ipsa conscientia synderesim discernit, de qua loco citato art. 12 quaestionem instituit. Negat synderesim ullam specialem potentiam esse sive ratione altiore sive ipsam rationem qualis sit natura sua, illamque describit ut „specialem habitum naturalem,“ ad quem „principia operabilium nobis naturaliter indita“ pertineant. His quidem principiiis operabilium rationem practicam pari modo uti, atque rationem speculativam habitu principiorum speculabilium pariter a natura nobis inditorum. Quum ratio practica a principiiis operabilium ad singula invenienda et judicanda procedat, synderesim dici instigare ad bonum et murmurare de malo.

Nec vero minus conscientiam sensu strictiore S. Thomas (art. 13) animae potentiam esse negat; esse

enim actum quendam, nempe actualem applicationem alicujus nostrae cognitionis seu scientiae ad ea, quae agamus. Hanc vero actualem applicationem fieri tripliciter: „uno modo secundum quod recognoscamus, aliquid nos fecisse vel non fecisse (testificatio); alio modo secundum quod judicemus, aliquid esse faciendum vel non faciendum (obligatio); tertio modo secundum quod judicemus, quod aliquid quod est factum sit bene factum vel non bene factum (judicatio).“ Omnem autem actum habitu aliquo tanquam suo principio contineri; conscientiae autem principium esse synderesim, et „quia consuetum sit, quod causae et effectus per invicem nominentur,“ interdum ipsam synderesim nominari conscientiam.

Jam vero conspicuum est, haec S. Thomae descriptio quantum differat ab illa vulgari conscientiae definitione, quantopereque illam vincat et ingenuitate speculativa et psychologica profunditate. Dum omnem ratiocinationem, quae principiis practicis conficitur, intellectui practico*) adscribit, ab hoc illum actum, quem conscientiam nominat, omnino segregat. Conscientia quidem ut actus intellectivus describitur, actibus appetitivis contrarius, sed non ut actus intellectus seu rationis. Cujus actus jam non est, generalia principia operabilium ad singulos vitae casus accommodare, hoc enim totum intellectus practici ratiocinationi tribuendum est, sive haec a nobismet ipsis conficitur sive ab alio quodam auctore jam confecta in memoria nostra inhaeret — sed potius est, irresistibili quadam auctoritate quum rationem ipsam compellere, ut principiis

*) Qui l. c. art. 11 sic definitur: „Intellectus practicus dicitur, qui hoc, quod apprehendit, ordinat ad opus,“ et paulo inferius: „Intellectus practicus est motivus non quasi exequens motum sed quasi dirigens ad motum.“ Caeterum ratio practica potentia animae est, non diversa natura sua a ratione speculativa. Cf. art. 8 & 11.

operabilium ratiocinetur, tum voluntatem scientia ita comparata obligare. Conscientiae actus nullo modo legem conficit, nec generalem nec specialem et ad singulum agendi casum accomodatam, sed legem quocunque modo cognitam ad voluntatem nostram applicat, atque efficit, ut lex tanquam officium a nobis agnoscat. Minime enim S. Thomas conscientiam ita definit, ut sit applicatio legis universalis ad casum aliquem specialem, sed ut sit applicatio scientiae ad actum. Omnis scientia practica, quae etiam potest corrumpi et emendari, humanae rationi adscribitur; at vero ejusmodi scientiae applicatio ad nostrum velle et agere, quae sine ulla haesitatione et cum superiore quadam auctoritate nos compellit, tribuitur conscientiae.

Atque hunc conscientiae actum infallibilem atque irresistibilem, quem Doctor Angelicus a rationis practicae fallibili atque incerto actu tam diligenter secernit, ne eodem principio quidem cum hoc connectit. Nimirum vir ille sagacissimus conscientiam, qualem eam cognoverat et qualis in libris sacris describitur, principio tam debili, qualis ratio humana natura sua est, tribuere noluit. Itaque ipsam synderesim seu habitum illum naturalem primorum principiorum operabilium tanquam firmum fundamentum conscientiae subiecit; ejusmodi enim habitus homini innatus, qualis a S. Thoma statuitur, non potest amitti neque corrumpi minimeque hominis libidini vel licentiae subjectus est. (Cf. Summa Theol. Pars 1. 2. qu. 53. art. 1.) Attamen habitus ille, quamvis ejus auctoritas sit gravissima, estne ejusmodi, ut omnium actionum et affectionum internarum, quae ad conscientiam referuntur, causam sufficientem contineat?

§. 5.

Priusquam huic quaestioni responsum adhibeam et S. Thomae de conscientia sententiam ponderare pergam,

quo haec ipsa melius perspiciatur, e re esse videtur, Kantium in medium proferre, quippe qui ex omnibus philosophis copiosissime de conscientia scripserit, summumque philosophum cum summo theologo comparare. Id quod propterea potissimum placet, quia inter Kantii et S. Thomae sententias quaedam similitudo intercedit et illius „imperativus categoricus“, qui saepissime cum conscientia permutatur, et in quo ut in unico fundamento omnis realitas et certitudo a Kantio superstruitur, etiam in ore vulgi est.

Kantius igitur, quum jam in libro suo: Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft — de conscientia quaerere instituerat (cf. Stäudlin l. c. pag. 139 seq.), postea etiam in alia scriptione, cui titulus est: Metaphysische Anfangsgründe der Tugendlehre. Königsberg 1797 — illam doctrinam perfectius atque clarius proposuit. Ita enim (p. 37—38) disserit: „Conscientia est ratio practica, quae homini in quoque casu legis exequendae officium absolvendi vel condemnandi objicit. Minime igitur rem extra nos positam (Object) tangit, sed tantum ad nos sive mentem nostram (Subject) attinet (internum boni rectique sensum actu suo afficiens); res igitur in facto posita est inevitabilis, non vero ulla obligatio ullumve officium.“ Paulo inferius Kantius concludit, conscientiam erroneam non posse cogitari. „Nam in iudicio objectivo — sic enim persequitur — num quid officium sit necne, interdum quidem potest errari; at in subjectivo, num quid ob iudicium illud exercendum cum ratione mea practica (quae hic iudicans est) contulerim, errare non possum.“ Proinde statuitur, officio tantum postulari, ut intellectum nostrum de rebus ad honestatem pertinentibus erudiamus; quum vero ad agendum ventum fuerit, conscientiam sponte et necessario iudicium suum ferre; quare, quod ad ipsam conscientiam attineat, solummodo

possit esse officium, illam colere illiusque voci attentum praeberere animum.

Ex his jam elucet, Kantium quoque, licet conscientiam rationi practicae tanquam principio adscribat, tamen ejus functionem ab illa rationis practicae functione diligentissime segregare, qua quaeritur, quid officium sit an non sit, in quo etiam error potest contingere. Conscientiam enim illam tantum internam functionem statuit esse, qua obstringimur, ut actiones nostras secundum nostram boni rectique scientiam dijudicemus.

Attamen etiam lucidius celeberrimus philosophus in eodem libro (pag. 98 seqq.) de conscientia disputat. Dum enim ea, quae in mente hominis, cui aliquid agendum est, deinceps eveniunt, describit, haec omnia dicit coram iudicio geri ut coram persona quadam morali (quod forum vocetur) legis mandata exsequente. Ejusmodi fori interni (in quo cogitationes se invicem accusent aut etiam defendant) perceptionem esse conscientiam. Postquam deinde conscientiae sive iudicis interni summam auctoritatem vimque irresistibilem et inevitabilem verbis gravissimis celebravit, ita pergit: „Haec primitiva indoles intellectualis et (quoniam ad officium pertinet) moralis, quae vocatur conscientia, id singulare habet, ut homo, licet suam ipsius causam secum ipse agat, tamen ratione sua cogatur, eam alia quadam persona jubente agere. Agitur enim coram iudicio causa; at vero hominem conscientia accusatum ut eandem personam cogitari atque iudicem, est opinio de natura fori minus probabilis; tali enim modo accusator semper inferior lite discederet.“ Itaque necesse esse, homo alium quendam, atque ipsum, factorum suorum iudicem animo sibi effingat, sive tanquam personam revera existentem sive tanquam idealem tantum et sola cogitatione formatam. Atque hunc conscientiae iudicem tanquam occultarum cogitationum scrutatorem (Herzenskündiger)

cogitandum esse, quum forum illud in ipso homine constitutum sit, atque etiam tanquam omnes homines jussu suo obstringentem sive tanquam personam, cujus praecepta censenda sint officia omnia. Quum autem ejusmodi naturae (Wesen) omnis potestas tribuenda sit leges jus-saque exsequendi, illa vero natura moralis, cujus potestati omnia subjecta sunt, Deus nominetur, „conscientiam cogitandam esse ut principium subjectivum rationis de omnibus actionibus Deo reddendae.“

Utinam ne Kantius principiorum suorum constantia coactus fuisset, praeclarum illud cogitatum rursus quasi nebulam et rem plane dubiam dissolvere! Namque omnia, quae conscientiae tribuuntur, ratione empirica percipiuntur, qua, secundum illum, nulla de objectorum realitate certitudo comparatur. Quod nisi Kantius statuisset, non in-cepta sane ratione, Deum esse, demonstrare debuisset, summumque numen, ut ajunt, postulare, ut esset aliquis, qui alteram summi boni partem, nempe beatitudinem sanctitati, quae prima summi boni pars censetur, congruam compararet. (Cf. Kritik der praktischen Vernunft. 6. Aufl. Leipzig 1827. p. 181 seqq.) Non modo S. Thomae profunditatem assecutus fuisset, sed etiam superasset, totamque quaestionem de natura conscientiae penitus absolvisset. Nunc vero philosophus longe relinquitur a theologo, cui certa quidem sunt, quae per sensum internum percipiuntur.

§. 6.

Itaque et Kantius et S. Thomas, uterque homo acutissimus, conscientiam diligentissime a ratione practica segregant, quae quidem praecepta officii cognoscit et ad singulos casus accommodat. Describunt enim illam ut actum quendam internum, quem quidem S. Thomas applicationem cognitionis ad agendum appellat et Kantius judicium internum irresistibile et inevitabile, in quo tamen

acul interno easdem fere functiones agnoscit uterque. Etenim discernunt conscientiam antecedentem et consequentem, atque huic potissimum sententiam de hominum factis ferendam adscribunt, antecedentem vero conscientiam S. Thomas docet homines obligare, at Kantius non nisi praemonere (warnen). Stadtbibliothek Obern

Jam vero quid est, cur philosophus conscientiae antecedenti obligandi functionem adimat solamque praemonitionem relinquat? Quod ut faciat nimirum rursus placitorum ac principiorum constantia cogitur. Etenim illam internam actionem, qua ad legem obligamur, jam summo honestatis principio per rationem practicam puram, quam vocat, comparato adscribit, ipsumque illud principium ideo „imperativum categoricum“ nominat. Supremam hanc honestatis legem ratione conceptam, quae quidem, qualis in libro: *Kritik der praktischen Vernunft* (pag. 45 seqq.) — explicatur, lex est mere formalis nullaque specialia officiorum praecepta continens, Kantius docet ipsa natura sua ac vi voluntatem nostram impellere atque obstringere. Quo autem modo possit fieri, ut voluntas humana mera legis forma moveatur, ipsi philosopho „res sane mira“ videtur, quae in toto cognitionum practicarum orbe non habeat sui similem: attamen rem esse in facto positam, non quidem empiricam, sed contentam, tanquam unicam, pura ratione practica, quae propterea ut principium legislativum appareat (sic volo, sic jubeo — L. c. pag. 46).

Hac igitur ratione philosophus noster functiones illas obligandi et judicandi, natura sua conjunctissimas, distrahit, alteram conscientiae concedens, alteram imperativo categorico, ita ut de inconstantia sit reprehendus, quod etiam conscientiae istam „praemonitionem“ relinquit. Facere non potest, quin et obligationem internam et iudicium internum agnoscat, nam manifesto per sensum internum conspiciuntur; sed mirum in modum obligationis

perceptionem ad rationem puram refert, et iudicii ad rationem empiricam. De imperativi categorici objectiva realitate, ut hac utar locutione, illi quidem firma persuasio est, sed conscientia, quippe quae sola ratione empirica cognoscatur, quae apud nostrum firma fide caret, etiam mera imago potest esse, nullam habens veram realitatem.

Quanto vero profundius, constantius et vero philosopho dignius S. Thomas disputat! Si rem obiter tantum consideres, hic quoque obligationem et iudicium, quae in universum conscientiae tribuuntur, possit videri divellere, quoniam a conscientia distinguit synderesim, quae, qualis natura ejus describitur (cf. §. 4), Kantiano imperativo categorico videtur admodum similis esse. Sin vero diligentius animum attenderis, rem longe aliter se habere intellexeris. Namque S. Thomas utramque et obligandi et iudicandi functionem unico actui interno, quae conscientia vocatur, adscribit atque totum hunc conscientiae actum, in duabus illis (vel etiam tribus, si testimonium adicere velis) functionibus consistentem ad synderesim tanquam unicum principium et fontem refert. Itaque honestatis fundamentum — obligatio ad legem et iudicium ex lege — quod a Kantio non solum distrahitur, sed etiam partim in dubium vocatur, a S. Thoma tanquam unicum confirmatur, itaque aequalis legis et iudicii auctoritas agnoscitur, moraliumque principiorum unitas, quam justa scientia postulat, constituitur.

Quae quum ita sint, jam Kantii sententia relicta ad eam quaestionem redire nobis licebit, quae sub finem paragraphi quartae de S. Thomae sententia instituta sed nondum absoluta est.

§. 7.

Estne igitur habitus ille primorum principiorum operabilium, quem synderesim S. Thomas appellat, ejusmodi, qui omnium internarum actionum et affectionum, quae

conscientiae tribuuntur, rationem sufficientem possit continere? Id quidem jam concessimus, in synderesi, quae tanquam habitus naturalis homini innatus proponitur, qui nec amitti neque corrumpi possit, conscientiae auctoritatem ut in firmo et intacto fundamento consistere. Attamen quum jam Kantio mirum videatur, quomodo possit fieri, ut objectivum honestatis principium voluntatem hominis aggrediatur obligetque, nobis etiam magis videtur mirum, quomodo possit evenire, ut habitus ille naturalis non solum ejus internae actionis principium sit, qua voluntas humana obligatur, sed etiam caeterarum internarum actionum, quibus datur testimonium, exercetur dictorum factorumque judicium, bene acta laudantur, male acta damnantur.

Certe enim primorum principiorum speculabilium habitus, qui synderesi similis est eique respondet, ejusmodi efficaciam minime manifestat; namque etiam tum, quum cogitando illum offenderis cogitationesque illi contrarias effinxeris, quietus remanet nec ullo modo vindicat repugnantiam. Praeterea illae conscientiae actiones omnes nonne tales sunt, quae lucem alicujus intellectus desiderent neque possint esse rei cujusdam impersonalis quasi caeci et necessarii effectus? Nonne omnino secum pugnat, summam honestatis, quae sine libero arbitrio et mente sibi conscia (Ichheit) nulla potest esse, referri ad principium quoddam impersonale atque expers proprii intellectus et liberi arbitrii?

Harum sane dubitationum vim atque momentum nemo non videbit; quas ut funditus tollamus, jam illius habitus naturam originemque paullo accuratius perquiramus.

Angelicus igitur Doctor, quamquam synderesim habitum naturalem appellat, tamen ei vim atque auctoritatem tribuit, qua tota natura humana regatur imperioque teneatur. Itaque hominis quidem habitus naturalis esse videtur, quia a natura humana nequit separari atque in omnibus

hominibus conspicitur; at humanam naturam excedere videtur, quia ut hominis summus dominus atque iudex severissimus debet agnosci. Quamobrem habitus ille ad humanam naturam non potest pertinere tanquam ad principium suum causamque efficientem, sed solummodo tanquam ad receptaculum suum atque fulcrum (Träger); ipsum vero synderesis principium objectivum extra hominem quaerendum esse videtur atque naturae cuidam personali tribuendum, quae summum imperium iudiciumque absolutum suo jure in homines exercent. Ac quis tandem ille supremus dominator et iudex potest esse, nisi humanae naturae rerumque omnium auctor atque creator, Deus quidem Optimus Maximus, quem etiam Kantius non videre non poterat, sed utpote conceptum sola ratione empirica agnoscere nolebat!

Tale conscientiae principium objectivum si statuimus, ipsiusque Dei vivi commercium cum homine si in conscientia agnoscimus, jam actiones omnes affectionesque internae, quas vel conscientiam nominamus vel ei tribuimus vel saltem cum ea conjungimus, in luce clarissima conspiciuntur earumque propria natura atque indoles optime intelligitur. Ejusdem praeterea sententiae, de conscientiae summo principio prolatae, veritatem non solum indicat memorata jam populi consuetudo, ex qua conscientia vox Dei nominatur, ipsumque synderesis vocabulum, quod conservationem quandam vel quoddam vinculum (*συντήρησης*) significat, quoque theologi scholastici, magis etiam mystici, tanquam profundissimo quodam verbo et quasi inexplicabili utuntur; *) verum etiam Sacrae Scripturae

*) *Ex proposito nostro satis erit, ea hic transcripsisse, quae Venerabilis Joannes Gerson in suis „Considerationibus de Mystica Theologia“ proponit. Postquam animae rationalis potentias, ut ipsius utar verbis, in cognitivas et affectivas atque has ultimas in appetitum*

loci confirmant, qui supra laudati sunt, totaque ratio, qua conscientia ibi tractatur. Sed quid tandem etiam magis consentaneum potest esse, quam Deum creatorem iis, quos creavit, semper praesentem esse tanquam sanctissimum gubernatorem, ne unquam originis suae memoriam abjiciant, immo ut ad agnoscendum Deum tanquam supremum dominatorem atque judicem perpetuo compellantur!

§. 8.

Quum igitur conscientiae supremum principium ipse Deus Optimus Maximus sit, qui hac ratione cum his, quos creavit, conjunctionem quandam perpetuo servat atque summum imperium in eos semper praesens exercet: ab omnibus creaturis rationis luce praeditis per sensum internum Deus quodam modo percipitur atque agnoscitur. In hoc nimirum naturarum ratione utentium summa consistit praestantia, quod perpetuum illud creatoris cum creatis commercium, quae conscientiae radix est, sensu interno comprehendunt et, quale sit, ratione etiam intelligunt, hoc est, quod conscientiam sensu subjectivo habent atque cum conscientia simul honestatis ac religionis indolem.

Jam apparet, conscientiam, quantum per eam Deus ut summus dominator et judex necessario agnoscitur, non solum hominibus, qui lapsu Adami peccatores redditi sunt, adscribendam esse, verum etiam, id quod quibusdam viris admodum doctis minus placet, ipsi Adamo, antequam divinum mandatum transgressus fuerit, immo etiam angelis,

sensitivum, voluntatem et synderesim divisit: hunc omnium potentiarum apicem describit (Consid. 14) ut „vim animae appetitivam, quae suscipiat immediate a Deo naturalem quandam inclinationem ad bonum.“ Atque hanc synderesim statuit considerandam esse vel ut inclinationem, vel ut actum, vel ut habitum, eamque etiam posse nominari „habitu practicum principiorum, scintillam intelligentiae, portionem virginalem animae, stimulum naturalem ad bonum, apicem mentis, instinctum indelebilem“ etc.

amicis Deo atque inimicis. Neque tamen potest negari, commune conscientiae vinculum et secundum naturarum diversitatem et etiam magis secundum diversam earum conditionem moralem diversamque rationem, qua in Deum affectae sint, modo admodum diverso ab ipsis comprehendatur atque accipiat necesse esse. Etenim vinculum illud naturale (quippe sola creatione constitutum ideoque a vinculo supranaturali per Spiritum Sanctum probe discernendum) ab homine, qui Deum amet et amore erga Deum ductus divina mandata persequatur, non comprehenditur tanquam vinculum, quo etiam invitus obstringatur atque cogatur. At vero si quis Deo obtrectat absolutumque ejus dominium in sese denegat, jam invitus et quadam coactione compellitur, ut illi omnem honorem concedat, cui soli omnis honor debetur. Qui Deum supremum dominum suum agnoscit, qui illum amat eique obtemperat, is miram quandam beatitudinem ex ipsa conscientia percipit, qui vero Deum auctorem vitae suae denegat atque odit, is inexorable conscientiae judicium non effugit.

Ea vero conscientiae conditio, quae in hominibus Adamo peccatore oriundis comparet, omnino nequit intelligi, nisi praeter Adami peccatum Jesu Christi Salvatoris meritum et gratia respiciuntur. Namque in conscientia hominis, qualis nunc quidem est, certamen quoddam reperitur inter damnationem et consolationem, inter peccatum et gratiam (quae jam praeveniens Salvatoris gratia est); quod quidem certamen neque in Adamo ante lapsum, neque in angelis bonis neve malis potest cogitari, quodque in ipsis hominibus, quando conscientiae coactio libertate caritatis fuerit soluta, prorsus desinet.

Haec potissimum conscientiae humanae conditio causa fuit, cur nonnulli viri docti solis hominibus in statu naturae lapsae constitutis conscientiam tribuerunt, quorum sententiam Dr. Joan. Henr. Pabstius in libro, qui inscribitur:

Adam und Christus (Wien 1835. pag. 56 seqq. Cf. etiam ejusdem *Der Mensch und seine Geschichte*. §. 18) disertissime exposuit. Nulla quasi secundum illos inter creatorem et creaturas naturalis ratio permanet, nullumque commercium creator cum creaturis ob ipsam creationem servat. Omnis inter Deum et hominem ratio sola Spiritus Sancti gratia continetur: quam postquam primi parentes peccato commisso amiserant, ne prorsus a Deo separarentur, statim Verbum Divinum illius locum occupavit; quo facto conscientia constituta est tanquam futurae salvationis promissio atque praeparatio. —

Neque nos quidem omnem rationem Verbi Divini ad conscientiam tollimus; in illo enim omnium rerum creatio vertitur vinculumque naturale continetur, quo Creator et creaturae junguntur; nam „omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est“ (Joan. 1, 31). Ac praeterea hoc statuimus, in hominum, quales nunc sunt, conscientia Salvatoris efficaciam etiam singulari quodam modo conspicuam esse, quum peccatores conscientiae voce non solum judicentur et castigentur (uti angeli mali — Cf. S. Thomae S. T. III. suppl. Qu. 97. Art. 2), sed etiam ad poenitentiam et morum emendationem instigentur.

Ipsa igitur conscientia, qua tanquam naturali quodam vinculo Deo obstricti sumus, movemur, ut supernaturali commercio cum Deo, quod in gratia Spiritus Sancti consistit, recuperemus atque „induamus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis“ (Ephes. 4, 24). Neque tamen si supernaturali Spiritus Sancti propter Jesum Christum Salvatorem nobis donati vinculo cum Deo conjuncti sumus, naturale illud prorsus sublatum est, quo jam Creator et creatura continentur, sed tantummodo novam quandam formam induit et superiore gratiae vinculo quasi involutum atque

absorptum est. Jam „imperativi categorici“ coactio in caritatis libertatem abiit; jam homo sanctus non tam conscientia ductus et quia debet mandata divina persequitur, sed motus caritate erga Deum Optimum Maximum, auctorem suum ac suam summam mercedem.